



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Auguſt. Hutteni
- 2 Sadnel Eluciforatio nos disp. 1.
- 3 Axiomata brevia de ſarce phyſicalium diſtinctis M. Fied. 3 Alduini
- 4 Disp. de ſeruo Acti tum ſpora tum officio. Hofmanni
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. aſſeret de p̄ntay & multa
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni ^{deu p̄ntay} ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De noticijs Dei & Voluntatis ipſius Hofmanni
- 8 Drey Vnterſchiedli ſchreiben an d. Conſistorium zu
Leipzig, von abſol. d. Sub Exorcismi
M. Georgij Lystarij

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO XVII.
DE COENA DOMINI.

Ex articulo X. Confessionis Augustanae: &
I. ac III. Abusuum mutatorum, desumta:

Sacramentariorum & Pontificiorum
Ἐδελύμασι ὀπποσίτα.

In qua

Docente Christo Servatore

Sub presidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theolo-
giae Doctoris, & Professoris publici:

Respondebit

JONAS NICOLAI KYLANDER
Gothus, Suecus,

Mense Aprili, horis locoq; solitis,



WITEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno clb Is XCVIII.



ILLVSTRIBVS, MA-
GNIFICIS ET GENEROSIS
DOMINIS BARONIBVS,

*Dn. Hohenschildio Bielkio à Leecköo,
Dn. Gostavo Banero à Diursholm,
Dn. Thuroni Bielkio ab Akeröo,
Dn. Stenoni Banero ab Hendelöo,
Dno. Axloni Bielkio ab Herfeter,*

*Inchyæ regni Suecia Senatoribus spectatissimis, Consi-
liarijs regia Majestatis dignissimis, semper liberis, & in-
corruptæ Confessionis Augustana propugnatoribus fide-
lissimis, Dominis Mecænatibus & promotoribus
suis Clementibus, summâ animi devotione
honorandis,*

Hanc Disputationem in testimonium debitæ gratitu-
dinis & observantiæ perpetuum nuncupat

Humilissimus Cliens,

Jonas Nicolaj Kylander.

DE COENA DOMINI.

THESIS I.



Acramentum initiationis Novi Testa-
menti, puta Baptismū, ordine convenientissimo ex-
cipit Sacramentum Confirmationis, quod est sacra-
tissima Cœna Domini & Servatoris nostri Iesu
Christi: tūm ob causas alias, tūm quod ea est fidei nostræ, in
baptismo nobis collatæ, respectu nostri infirmitas, ut nisi subino-
de confirmetur, mox penitus fatiscat & intereat.

II.

Articuli huius doctrinam brevi admodum perspicuitate,
& perspicua brevitate confessionis nostræ describit prototy-
pus: inquit; *De cœna Domini docent, quod corpus & sanguis
Christi, verè adsint & distribuuntur vescentibus in cœna Domini: Et
improbant secus docentes.*

III.

Apologia Confessionis, pari & brevitate & diluciditate
usa, Ecclesias protestantium docere asserit, *Quòd in cœna Domini
verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè ex-
hibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his qui sacra-
mentum accipiunt.*

IV.

Vtramq; hanc, tūm Confessionis, tūm Apologiæ puritatem,
omni censura, variatione aut correctione longè superiorem esse,
Ecclesia *γυναικῶς* Lutherana semper iudicavit.

V.

Cuius rei testis esse potest, omni exceptione major, Syno-
dus Smalcadensis, Anno post confessionem exhibitam septimo
cōacta: quæ ut in reliquis, sic in hoc etiam Articulo, nihil pro-
fus mutationis suscipiendum aut instituendum esse, graviter de-
crevit.

VI.

Minimè igitur ferenda, illa licentia, qua privata autori-
tate, & nihil tale cogitante Ecclesiâ Orthodoxâ; censoriam
virgulam in hoc mutando Articulo sibi decennio demùm post,
sumsit Melanthon.

VII.

Quæ sanè mutatio Confessionis sive prototypi laudem, eandem, puritatem, perspicuitatem, in turpissimum & fœditissimum cothurnum immutavit.

VIII.

Erat enim Confessionis nostræ is scopus ac finis unicè propositus, ut Ecclesiæ Orthodoxæ doctrinam non à Pontificia tantum lue: sed Sacramentario etiam cæno quam planissimè sejungeret.

IX.

Quod posterius ipse etiam Monachus à Daventria agnovit scribens: *Condemnat* (scilicet Confessio Protestantium in hoc Articulo) *Oecolampadianos, Zuinglianos, & totam Anabaptistarum impudicam colluviem.*

Har. Fabrij. pag. 189. a.

X.

Iam verò mutata sive spuria isthæc Confessio bis sic inflectit sermonem, ut, quamvis hæresin Sacramentariam aperte ipsa non approbet: Verborum tamen ambiguitate, optatum totis sentinæ Sacramentariæ latibulum præbeat.

XI.

Quæ quidem sola depravatio est illa Helena, sive Delila quam Cryptocalvinistæ patrocinio sibi quærunt, ut sub furtivo Confessionis hujus nostræ pallio, sese in reformatas Ecclesias ingerere quant.

XII.

Quæ causa fuit, ut Protestantes ægrè hanc mutationem ferentes, Anno statim sequente 41. in Colloquio Ratisbonensi restitutionem ac redintegrationem hujus Articuli strenuè urserint: Quam ipse Philippus publicè ac solenniter præstitit, restitutionis duobus illis membris (1. *adsint & distribuantur.* 2. *Et improbant secus docentes*) quæ prius privato ausu ille expunxerat.

Histor. Conf. Aug. f. 358.

XIII.

Sed habent *φιλιππίζοντες*, quo factò huic fucum facere, illudq; excusare conantur: fingentes & criminantes 1. Prototypū errorem fovere Pontificium *περί τῆς μεταστώσεως* de Transubstantiatione: propterea quòd partim Germanica editio utatur phrasi Pontificia, *unter der gestalt des Brots und Weins*: partim verò, quòd Apologia mentionem faciat mutationis panis & vini.

vini: partim deniq; quia hic ipse Articulus à Pontificijs per omnia approbatus.

XIV.

Sed benè habet: Spiritus mendacij sibi nusquam constat. 1. Esto, Germanicum Exemplar patrocinari Transubstantiationi Pontificiæ: Quî igitur factum, quod Latinum, non verò Germanicum Exemplû sub mutationis incudem fuit revocatum. Manfit n. Germanicum sibi semper simile.

XV.

Deinde: Diversum planè constat: Nam longè alio sensu phrasi ista (unter der Gestalt) usa fuit confessio, quam Pontificij utuntur, eo nimirum, quo ante illud commentum de Transubstantiatione vetustissimi etiam Patres usi fuerunt: Vnam & Sacramentalem illam notantes unionem Elementorum panis & vini cum ipso Corpore & Sanguine Christi, sine ulla vel μεταστώσεσi vel σμυστώσεσi.

XVI.

3. Tùm Articuli hujus proprius ac genuinus sensus petendus est non ex consensu Pontificio: sed ex Ecclesiarum nostrarum doctrina, qualis tùm etiam eadem planè fuit, quæ hodiè sonat.

XVII.

4. Tandem ne quidem verum est Pontificios omnes hunc articulum approbasse: Cochlæus certè multa in eo desiderare Romanam Ecclesiam disertè fatetur: ut videre est apud Fabricium, Harm. pag. 189. a.

XVIII.

Causa ergo factæ mutationis alia fuerit auctori, necessum est, quam Fabricius in sua Germania iusto acerbius & vehementius perstringit, his verbis: *Luthero verba Servatoris, de presentia sui corporis & sanguinis in Eucharistia erant manifestiora, quam ut eam negare auderet, sed Melanthoni non desuit malitia, ut eam rem perficeret, tandemq; ad illos accederet, quos Elias Germanicus (sic B. Lutherum scurra appellat) velut insatanasios & persatanasios condemnasset. Nam Calvinistæ & Zuingliani toties à Confessionis Augustanæ propugnatoribus condemnati, suum dogma Sacramentarium volunt jam etiam esse Articulo hoc decimo inclusum, respicientes scilicet ad eam variationem, quam Melanhton anno 1540. molitus est.*

XIX.

Nos, pijs defuncti parentes manibus, in medio ista nunc libenter relinquimus; modò purior Prototypi doctrina de Cœna Domini Ecclesijs nostris facta ac testata relinquatur: Quæ qualis sit, mox videbimus.

XX.

Constat autem Articulus iste partibus Confessionis huius proprijs, θεία nimirum & ἀντιθέα: quarum hæc secus docentium errores damnat: illa verò ὑποτύπωσι τῶν ὑγιαίνοντων λόγων dilucidissimè proponit. De utraque seorsim agemus.

Pars I. θετικὴ Affirmativa.

XXI.

DESIJ tribus Quæstionibus commodissimè absolvi posse videtur: Quarum I. ipsam Sacramenti huius materiam sive substantiam describit. II. modum exponit, quo ea & dispensetur, & accipiatur: III. ipsos Convivas sacratissimi huius Epuli notat.

*QVÆSTIO I. DE MATERIA
sive substantia Cœnae Dominicae.*

XXII.

Est igitur Sacramenti huius substantia secundum Confessionis determinationem, Corpus & sanguis Christi: Panis & vinum, cum quibus illa verè adsunt & exhibentur in Sacramenti laicij usu.

XXIII.

Proindè substantiæ huius integritas, non vna, sed duabus & quidem toto genere discrepantibus partibus absolvitur: quarum vna est terrena, Elementaris & visibilis: nempe, Panis & vinum: altera cœlestis, Spiritualis, invisibilis, Corpus & sanguis Christi.

XXIV.

Duabus istis partibus simul sumtis, non vni seorsim acceptæ, Sacramenti Eucharistici nomen & appellatio competit.

XXV.

Fiunt autem partes istæ diversissimæ in usu huius Sacramenti, vnum, non significatione nuda, non representatione rei absentis: non ἁπλῶς sive mutuo relationis respectu: Sed vnione
Sacra-

Sacramentali, quæ verè in ipso usu Elementorum intercedit pani cum corpore: vino cum sanguine: ut manducato pane, verè comedatur corpus Christi: hausto vino, verè bibatur sanguis Christi.

XXVI.

Unionis huius Sacramentalis vis & causa non pendet à dignitate vel Ministrantis vel accipientis: non ab occulta aliqua vi verborum consecrationis: non etiam à fide accipientis: sed vnicè à voluntate & institutione Christi Servatoris, qui Sacramenti huius est autor conditorque.

XXVII.

Cujus institutionis verba, prout ea in Evangelistarum tabulis consignata sunt, non tropicè, non figuratè: sed sensu simplicissimo, & ut loquuntur, κατὰ τὸ ῥητὸν juxta literam accipienda esse, firmissimis & prorsus ἀλύτοις freti rationibus atque argumentis, indubitatò credimus & confitemur. Quæ paucis delibare haud fuerit inconveniens.

XXVIII.

I. A propria, & nativa verborum scripturæ, imprimis Testamenti Christi significatione, recedere haud fas est, nisi summa hoc exigat necessitas.

Atqui nulla talis necessitas dari potest. Sunt enim ipsorum etiam adversariorum testimonio, verba institutionis clara, sunt perspicua: eorundemque proprius ac literalis sensus, in nullum Articulum fidei, ac proin neque in Analogiam fidei ullo modo impingit. Nam quod de veritate corporis Christi, de articulo Ascensionis & sessionis Christi ad dextram patris obijciunt: id quam sit frivolum & elumbe, sequens ostendet ratio. Ergo à propria & literali verborum institutionis interpretatione minime est recedendum.

XXIX.

II. Si præsentia Sacramentalis corporis & sanguinis Christi in S. Cœna, cum pane & vino, repugnat veritati Corporis Christi, & impingit in articulos fidei: Consequens fuerit, Christum promississe, instituisse in S. Cœna id, quod veritati sui Corporis adversum: quod analogiæ fidei contrarium.

At posterius hoc affirmare, planè est absonum, imò blasphemum. Ergo falsum & prius.

XXX.

III. Quaecumq; interpretatio congruit cum mente & voluntate Christi: ea citra omnem dubitationem est verissima: Atqui interpretatio quæ in verbis institutionis retinet τὸ ἕκτον, cum mente & voluntate Christi congruit. Ergo. Assumptionis veritas inde patet: Quia Christus ipse ad tollendam omnem figuratam significationem, perspicuè definiuit, quale id sit Corpus & qualis Sanguis: inquit: Corpus, quod pro vobis traditur: Sanguis qui effunditur. At non typicum Corpus pro nobis traditum: non figuratus aut Methaphoricus sive Metonymicus sanguis pro nobis effusus. Ergo, pro ut verborum litera sonat, ipsum verum & substantiale Corpus Christi cum pane manducandum: ipsum verum & substantialem sanguinem cum vino bibendum exhiberi, omninò statuendum fuerit.

XXXI.

IV. Verba sunt intelligenda secundum subjectam suam materiam. Materia autem, quam verba institutionis describunt, non respectum habent ullius vel allegoriæ, vel parabolæ: sed Sacramenti & Testamenti propriissimè sic dicti.

Iam vero nullius Sacramenti institutio dari potest, in cuius verbis proprius & literalis sensus sit negligendus: id quod verba institutæ circumcisionis Gen. 17, 10. & II. instituti Agni Paschalis. Exod. 12, 13. instituti denique Baptismi, Matth. 28, 19. Marc. 16, 16. apertè demonstrant.

Ergo nec in verbis Eucharistiæ, à propria, nativa & literali verborum significatione fuerit recedendum.

XXXII.

V. Quamcunq; interpretationem vnanimis consensus Evangelistarum approbat & conservat: ea vel maxime omnium est verissima & propriissima.

Atqui propriam, nativam & literalem verborum institutionis interpretationem approbat & confirmat vnanimis consensus Evangelistarum, Ergo.

Minor patet inde: Nam primùm Evangelistæ in descriptione primæ partis hujus Sacramenti, nempe Corporis Christi cum pane verè præsentis & manducandi, ad amussim omnes concordant: dicentes: Accipite, comedite: Hoc est corpus meum, Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Adicit Lucas: Quod pro vobis traditur, Luc. 22, 19.

33. Quoad

XXXIII.

Quoad posteriorem partem, nempe descriptionem Calicis: etsi in verbis Evangelistarum aliqua sese offert diversitas: tantum tamen abest, ut propriam verborum significationem tollat; ut potius eam apertissimè explicet & confirmet.

XXXIV.

Nam ubi Matthæus cap. 26, 28. & Marcus, cap. 14, 24. habent: Hic est sanguis meus, qui est Novi Testamenti: ibi Lucas cap. 22, 20. mutato nonnihil verborum ordine inquit: Hoc poculum est Novum Testamentum in meo sanguine.

XXXV.

Iam verò cum utrisque phrasibus vnam eandemque sententiam reddi oporteat: nisi fortè Evangelistas, imò Servatorem ipsum, turpis alicujus ἀντιλογίας insimulare quis velit: illud probè attendendum, quomodo Spiritus Sanctus has ipsas Evangelistarum phrasas ita sit moderatus, ut nullo artificio, quam in propria, nativa & literali significatione accipi possint & debeant.

XXXVI.

Si quis enim sanguinem tropicè velit intelligere apud Matthæum & Marcum: id statim Lucas prohibet: Siquidem appellatio Novi Testamenti obstat, quæ per figuram nullam à propria significatione dimoveri potest.

XXXVII.

Iam Cæna Domini, Novum dicitur Testamentum, non quia vinum in ea bibimus: Sed in sanguine Christi: Quia hic est sanguis Novi Testamenti, ut Matthæus & Marcus loquuntur: hoc est: Cæna Domini propterea novum est Testamentum, quia in ea accipitur & bibitur sanguis Christi, qui est sanguis Novi Testamenti, distinctus à typico & figurato sanguine victimarum, quo vetus Testamentum olim erat sancitum.

XXXVIII.

VI. Cui interpretationi subscribit Apostolus Paulus, ea ad rei veritatem propriissimè accedit.

Atqui Paulus ei interpretationi subscribit, quæ servat in verbis institutionis τὸ ζῆτον. Ergo,

XXXIX.

Assumptionis veritas patet ex 1. Cor. 10, 16. ubi hunc in modum

B

modum

modum Sacramentum hoc describit Apostolus : Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne κοινωμία communio est sanguinis Christi? Panis, quem frangimus, nonne κοινωμία communio est Corporis Christi?

XL.

Hinc talis petitur collectio : Si in verbis Cœnæ, particula (EST) idem denotat ac SIGNIFICAT : aut Corpus est interpretandum pro figura Corporis absentis: Consequens fuerit: Falsum esse, quod Apostolus dicit : Corpus & Sanguinem esse κοινωμίαν Corporis & Sanguinis Christi : Et dicendum potius esse panem & vinum significare Corpus & sanguinem Christi.

Atqui Apostolus neglecto omni tropo, exclusa omni figura, Categoricè dicit, panem, & quidem illum panem, quem frangimus, esse κοινωμίαν Corporis Christi : Sic poculum, sive vinum, & quidem illud, cui benedicimus, esse sanguinem Christi. E. stabit rata ac inviolata τὸ ἔντιμὸν verborum institutionis interpretatio.

XLI.

VII. Accedit Orthodoxæ Antiquitatis consensus : quæ verborum institutionis ἔντιμὸν usque adeò illæsum retinet, ut gens Sacramentaria hætenus ne vnicum quidem protulerit ex ea testimonium, quod expressè, dilucidè & in specie de verbis institutionis asserat ; relicta propriâ, & nativâ verborum significatione, ad figuratam sive tropicam eorum interpretationem confugiendum esse.

XLII.

Et quanquam inficias minimè imus, fermè mare quoddam testimoniorum Patrum à Sacramentarijs, pro suæ sententiæ defensione fuisse hætenus productum, uti videre est in eorundem consensu cacodoxo : Quod si tamen suo vnumquodque loco consideretur, haud obscurum evadit, patres non de Corpore tropico, non de nudo ac vacuo signo, non de efficacia χερσῶν absentis Corporis & sanguinis Christi : sed de vero ac substantiali Corpore & sanguine: de signo exhibitivo et conferente: de efficacia, ac participatione præsentis Corporis & sanguinis Christi, vnanimi consensu fuisse locutos.

XLIII.

Et observanda veniunt quatuor potissimum axiomata, quorum in explicandis Patrum dictis, quæ ab adversa parte ca-
tervati

servati producuntur, maximus potest esse usus: Primum enim Patres in eo præcipue laborant, ut demonstrent, quali officio atque munere in S. Coena, externa fungantur symbola, quod nimirum sint signa Exhibentia, & conferentia nobis verum Corpus & sanguinem Christi. Quæ testimonia sicco pede calva transit cohors.

XLIV.

ii. Interdum non de substantia S. Coenæ, sed de ejusdem salutari usu verba faciunt, ac proinde spirituales requirunt manducationem, quæ fit fide in Christum, non negatâ interim orali sive Sacramentali manducatione.

XLV.

iii. Interdum vocabulis signi & signati diversa in significatione utuntur. Vnde sub æquivocationis fallaciâ ludunt Sacramentarij: Quæ per eam vocabulorum istorum distinctionem est diluenda, de qua in disputatione superiore decima quinta fuit dictum.

XLVI.

iv. Interdum non ex professo, sed incidenter duntaxat, & quasi παραφραδικώς, sacrae Eucharistiæ mentionem faciunt, ac proinde mutilatè rem explicant.

XLVII.

Quibus axiomatis addi potest & illud, Quod negantes interdum Patres Oralem manducationem, non eam impugnant, pro qua, vi verborum institutionis, Lutheranorum Ecclesiæ dimicant: sed crassam duntaxat illam & Capernaiticam Corporis Christi dilaniationem: quam nos æquè ac Sacramentarij ad Orcum relegamus.

XLVIII.

Patet hoc ex ijs testimoniis, quibus magno Spiritu Oralem illam manducationem Corporis & Sanguinis Christi, quæ fit cum pane & vino in usu S. Eucharistiæ, astruunt: quorum pauca quædam delibare haud fuerit absolum.

XLIX.

Irenæus scriptor antiquissimus, lib. 5. Quomodo inquit carnem nostram negant esse capacem donationis DEI, quæ est vita æterna: quæ corpore & sanguine Christi nutritur,

L.

Iustin. Apol. 2. *Hunc cibum*, per precatationis verbum, quod ab ipso prolatum est, benedictum; ex quo caro & sanguis
B 2 noster

noster alitur, illius Iesu Christi, qui homo factus est, *Carnem & sanguinem esse*, edocti sumus.

L I.

Cypr. Serm. 5. de lapsis. Iacens stantibus & integris Vulneratus minatur, & quod non statim **DOMINI CORPUS** inquinatis **MANIBUS** accipiat: aut **ORE** polluto **SANGUINEM DOMINI** bibat, sacrilegus sacerdotibus irascitur.

L II.

Hilarius. De veritate carnis & sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra, **VERE CARO EST, & VERE SANGUIS EST.** Et **HÆC ACCEPTA** atque **HAUSTA** id efficiunt, ut nos in Christo & Christus in nobis sit.

L III.

Epiphan. in Ancorato: Surrexit in Cœna, & accepit panem & vinum: & gratijs actis dixit: Hoc est Hoc, quod scilicet dico: Et videmus, nec æqualitatem, nec simile quippiam vel humanitati, vel invisibili Deitati, vel membris corporeis. Quia verò ipse ita dixit, nemo non credit huic verbo: & qui non credit, ipsum veracem esse **ITA SICUT DIXIT: HOC EST CORPUS MEUM:** is excidit gratia & salute.

L IV.

Chrysoft. Homil. 83. in cap. 26. Matth. Credamus ubique **DEO**, nec repugnemus ei: etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit: superetq; & sensum & rationem nostram verbum ipsius. Nam verbis ipsius defraudari non possumus: sensus verò noster deceptus est facillimus: Illa falsa esse non possunt: hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit: **HOC EST CORPUS MEUM:** nulla teneamur ambiguitate: sed credamus.

L V.

August. Serm. 1. Ideo rogo & admoneo, ut quantum possumus, cum **DEI** adiutorio laboremus, ut in illa die, cum sincere & pura conscientia, & mundo corde, & casto corpore, ad altare Domini possimus accedere: **CRPUS ET SANGUINEM** eius non ad iudicium: sed remedium, animæ nostræ mereamur accipere.

L VI.

Quibus ita confirmatis, cæcus omnino fuerit, imò prorsus **ÆNEOS**, qui neglecto Verborum Iustitutio nisproprio ac nativo sensu

sensu, siue τῷ ἕκτῳ, ad δίανοιαν & nescio quam tropicam eorundem significationem transeundum esse statuerit.

L V I I.

Vbi tamen illud ὡς ἐν παρόδῳ notandum: Orthodoxos, negantes τὴν δίανοιαν in verbis institutionis quærendam esse, non hoc velle (uti fex Sacramentaria cavillatur) Verborum Christi nullam esse δίανοιαν: vel ab eorum interpretatione omnem excludendam δίανοιαν: vel respuendam esse δίανοιαν, quæ cum natura Sacramentorum Novi Testamenti congruat. Neque enim Christum in prolatione verborum institutionis, sine mente solum duntaxat edidisse, arbitrandum est.

L V I I I.

Sed hoc controvertitur: An δίανοια istiusmodi verbis Institutionis affingenda, quæ expressè & è diametro cum verbis Christi pugnet, & propositioni illi: HOC EST CORPUS MEUM: opponat contradictoriam: HOC EST SIGNUM ABSENTIS MEI CORPORIS: Item an talis sit admittenda δίανοια, qua, Corpus & Sanguis Christi, ab externis & visibilibus Elementis, Pane & vino, tantum absit, quantum distat supremum cælum ab ima terra &c.

L I X.

Hanc δίανοιαν tanquam larvam & commentum Satanæ, totum hoc verè tremendum mysterium penitus enervans & evacuans, Orthodoxi, ijs moti rationibus, quæ breviter hætenus notatæ magis quàm explicatæ fuerunt, respuunt & damnant: & τὸ ἕκτῳ nulla arte aut Sophistica eripi sibi patiuntur.

L X.

Oritur verò ex hoc proprio, simplice & nativo verborum singulorum Institutionis sensu, singulare quoddam & peculiare prædicationis genus: quod non est figuratum aut tropicum: neq; etiam ulitatum aut regulare: Sed I N U S I T A T U M; quippe quod nullis humanæ rationis regulis congruit: nec exemplum in rerum natura ullum simile habet.

L X I.

Neq; tamen ἀσύντακτα vel ἀνὺφαλκὰ statuimus: dum & τῷ ἕκτῳ simplicitatem ac proprietatem in verbis institutionis retinendam: & simul inulitate prædicationis Genus in ijs locum habere docemus: Prius enim illud vocabula singula respicit: hoc verò posterius totum prædicationis complexum considerat.

B 3

Quid?

LXII.

Quid? Quòd prædicationem hanc inusitatam appellare non possemus, nisi simplicem ac propriam singularum vocum significationem retineremus.

LXIII.

Quamprimùm enim ad improprietatem aliquam & figuratum sensum vnum verbum inflexeris: ilicò inusitati modi rationem in prædicatione omnem sustuleris.

QVÆSTIO II. DE MODO DISPENSATIONIS materia sive substantia in Sacra Cœna.

LXIV.

Demonstrato hæctenus eo, quòd verba institutionis S. Cœnæ Dominicæ κατὰ τὸ ἕκτον sint accipienda: ac proinde in ejus usu panis Eucharistiæ non sit simplex panis elementaris: Sed ipsum Corpus Christi: Quemadmodum & vinum non sit simplex vinum, sed ipsissimus sanguis Christi: Quæritur nunc de modo dispensationis, quo præciolissimus iste thesaurus hominibus obtingit.

LXV.

Respondet Confessio nostra bifariam: 1. Corpus & sanguinem Christi verè adesse: 2. distribui vescentibus in cœna Domini.

LXVI.

Quoad prius membrum, negant Sacramentarij Corpus Christi & sanguinem verè præsentia adesse visibilibus Elementis: nos fidem habentes verbis Christi, cum Confessione nostra Affirmativam per omnia tenemus & defendimus.

LXVII.

Rationes autem & argumenta Affirmativæ nostræ ista ponimus. 1. Christus jussit Apostolos Corpus suum accipere & manducare: Accipite inquit, comedite: Hoc est Corpus meum. Ergò, illud verè præsens etiam illis exhibuit: Si non exhibuit, falsum erit, quod Christus promisit, se daturum illis manducandum Corpus suum cum pane, & bibendum sanguinem cum vino. At hoc blasphemum, Stabit E. illud prius.

68. Quod-

LXVIII.

II. Quodlibet Sacramentum, modò sit integrum, constat utraque re præsentì, signo & signato. In Eucharistia Deus exhibet integrum Sacramentum, Ergo non tantùm signum, sed & rem signatam, Corpus nimirum & sanguinem Christi verè exhibet.

LXIX.

III. Si Corpus Christi (ex concessione etiam Adversariorum) in S. Cœna verè præsens nobis offertur, præsentia illa, aut de ipsa *ᾠσία*, substantia & veritate Corporis Christi erit intelligenda: aut de efficacia tantùm, virtute & merito. Atqui Christus ipse disertè explicat, non virtutem & efficaciam Corporis & sanguinis sui duntaxat nobis exhiberi: Sed Corpus quod pro nobis traditum: Sanguinem, qui pro nobis effusus. Iam autem Corpus Christi *κατ' ᾠσίαν* pro nobis traditum: Sanguis Christi *κατ' ᾠσίαν* pro nobis effusus. E. *κατ' ᾠσίαν* etiam Corpus & sanguis Christi in S. Cœna cum symbolis externis sit verè præsens, necessarium fuerit consequens.

LXX.

IV. Extremæ impudentiæ, profligariæ audaciæ, horrendæ blasphemæ est, verbis institutionis Christi, opponere contradictoriam. Atqui statuere Corpus & sanguinem Christi tam procul abesse ab Elementis Cœnæ, quantum summum cœlum distat ab ima terra, nihil est aliud, quàm promissioni Servatoris, in tabulis hisce Novi Testamenti foederalibus comprehensæ, contradictoriam opponere: Christus enim, affirmat: Hoc, quod vobis manducandum præbeo, est Corpus meum: Sacramentarij negant dicentes: Hoc, quod nobis manducandum offers, non est Corpus tuum, Ergo. LXXI.

V. D. Apostolus. 1. Cor. 10, 16. Panis, inquit, quem frangimus, est *κοινωνία* Corporis Christi, Panis autem non abest à nobis tanto spacio, quanto cœlum à terra: sed verè præsens exhibetur. Ergo & *κοινωνία* Corporis Christi, quæ (Apostolo teste) cum pane exhibetur, non tanto intervallo à nobis aberit: sed præsentissima nobis cum pane exhibebitur.

LXXII.

VI. Idem confirmat laudabilis Orthodoxorum Patrum Candidatus: id quod patet ex ijs testimonijs, quæ partim supra citavimus: partim in Refutatione Consensus Calvinistici magno numero, & fide optima collecta reperiuntur. Et

LXXIII.

Et hoc est, quod Confessio nostra Corpus & sanguinem Christi V E R E adesse confitetur: Cui particulae æquipollent & aliae, quarum in disputationibus contra Sacramentarios magnus est usus: ut quod Corpus & sanguis Christi, *Substantialiter, naturaliter* adesse perhibentur.

LXXIV.

Opponuntur enim Adverbiales istae dictiones, Sacramentarium strophis, quae vix alias feliciter & facilius ex latebris protrahi & in apricum solem constitui possunt,

LXXV.

Neque verò nos duntaxat sed & Orthodoxa Antiquitas his ipsis adverbis vel maxime est usa, quoties docet, Christum non tantum habitare in nobis *per fidem*, & Spiritu suo efficacem esse; verum etiam uniri nobis **CORPORALITER, NATURALITER, PARTICIPATIONE NATURALI**: uti cum primis videre est apud Cyrillum, lib. 10. in Ioh. cap. 13. & lib. 11. cap. 27.

LXXVI.

Quibus tamen vocabulis neque Orthodoxi Patres, neque nos modum praesentiae Corporis & sanguinis Christi definimus, qui minime talis est, quique rationis humanae captum longe transcendens, solius fidei Organo percipitur: Sed hoc docemus, ipsam *σάρκα* sive substantiam Corporis & sanguinis Christi, non in signo duntaxat, aut in efficaciam tantum & virtute; sed secundum substantiam verè adesse, exhiberi, & accipi.

LXXVII.

Quo eodem modo particulis etiam illis *in, cum, sub*, non ad stabiliendam aliquam inclusionem Corporis & sanguinis Christi; non ad confirmandum impium Transsubstantiationis dogma: sed duntaxat ad veram Essentialis Corporis & sanguinis Christi in S. Coena praesentiam demonstrandam; Orthodoxos patres secuti, uti solemus. LXXVIII.

August. in sentent. Prosper: Sanguinem Domini **SUB** vini specie & sapore potamus. Et in lib. ad Neoph. Hoc accipite **IN** pane, quod pependit in ligno; hoc accipite **IN** calice, quod de Christi latere effusum est.

LXXIX.

Quibus tamen phrasibus & modis loquendi non ita praefractè

fraetè & contumaciter insistimus, ut si de vera & sana doctrina mutuus utrinque esset consensus, eas paci ac tranquillitate Ecclesiae essemus antelaturi; Sed, dum de adversariorum miraversutia & calliditate, quam in hoc cum primis certamine Eucharistico occultant, nobis constat: existimamus phrasewn istarum ad prouehendos ipsos è latebris, usum esse maximum.

LXXX.

Quibus ita constitutis concludimus cum Irenæo & Augustino: In S. Cæna duas res præsentissimas simul verè dari & exhiberi: Vnam terrenam: Panem scilicet & vinum: Cœlestem alteram, Corpus & sanguinem Domini: idq; fieri non supra in cœlis, sed hîc in terris: non fide duntaxat Spiritualiter, id quod etiam extra Sacramenti hujus usum fieri potest, docente Seruatore Ioh. 6. Sed cum pane & vino **ORALITER**: verum modo imperscrutabili & hyperphysico,

LXXXI.

Vbi tamen **ORALIS** manducationis termino, non physicam, non naturalem, non Capernaiticam, non Cyclopicam manducationem intelligimus, quam Ecclesijs nostris Antagonistæ mero calumniandi œstro perciti, præter omne meritum affingunt.

LXXXII.

Quemadmodum enim præsentia Corporis Christi, licet sit vera, non tamè est physica vel naturalis: Ita & manducatio Corporis Christi, licet fiat Ore Corporis: hoc enim est ὄργανον illud δεικτικόν, quo panis, & cum eo Sacramentaliter uniti Corporis Christi fit participatio: non tamen est physica & naturalis: sed est & manet manducatio supernaturalis, & verè Sacramentalis.

LXXXIII.

De Corpore enim Christi, in hac actione Sacramentali, plura non prædicamus, quam quæ à Christo ipso in verbis institutionis sunt expressa. Is verò simpliciter loquitur de manducatione, quæ fit Ore Corporis: non de manducationis vel accidentibus, vel consequentibus: veluti de deglutione, de trajectione in stomachum, de digestionem in ventriculo: de quibus quæstionibus summa cum blasphemia astutè rhetoricantur Sacramentarij.

C

Funda-

LXXXIV.

Fundamentum verò, quibus Oralem istam manducationem astruimus, sunt præcipua isthæc: I. Christus iussit Corpus suum Apostolos accipere & manducare: Hoc enim, quod accipiendum & manducandum porrexit, CORPVS SVVM esse profiteretur. Ergo Corpus Christi Apostoli ore exceperunt & manducarunt.

LXXXV.

II. Christus in actione S. Cœnæ, nulla usus est distinctione, ut panis manducationem ad os Corporis: Corporis vero sui manducationem ad os animæ referendam esse docuerit: sed simpliciter de eo, quod manducatur, Corpus suum esse, pronunciat. Ergo, in actione Cœnæ, manducatio Corporis Christi, eodem organo & instrumento peragitur, quo manducatio panis.

LXXXVI.

III. Quæcunq; in vno eodemq; Sacramento, eademq; actione vnita sunt Sacramentaliter: ea vno quoque eodemq; instrumento percipiuntur necessum est: nisi vnionem Sacramentalem, ob instrumentorum diversitatem, in ipso usu Sacramenti dirimere & divellere voluerimus.

Atqui, Panis & Corpus Christi, vinum & sanguis Christi, in eodem Sacramento, eademq; actione sive usu legitimo, vnita sunt Sacramentaliter.

Ergo eodem instrumento accipiantur necesse est, ne diversitate instrumentorum vnio illa Sacramentalis, nefariè disrumpatur.

LXXXVII.

IV. Accedit rursus Ecclesiæ primitivæ & Orthodoxorum Patrum autoritas: qui hanc Oralem manducationem Corporis Christi, à Christo & Apostolis traditam, suis in scriptis, passim studiosissimè inculcant & defendunt.

LXXXVIII.

August. Serm. 215. de Temp. Videte, inquit, fratres charissimi, si iustum est, ut ex ORE Christianorum, VBI CORPVS CHRISTI INGREDITVR, luxuriosum carmen, aut simile quiddam, quasi venenum Diaboli proferatur.

LXXXIX.

Idem l. 2, contra Adversarium legis, cap. 9. Nos, inquit, Mediator

Mediatorem DEI & hominum, Iesum Christum, CARNEM suam manducandam, bibendumq; SANGVINEM dantem, fideli CORDE atque ORE suscipimus.

XC.

Theodoret. lib. 5. hist. eccl. cap. 18. refert D. Ambrosium ideo noluisse Imp. Theodosium ad sacram communionem admittere; ne polluto ORE & MANIBVS exciperet sanctum Domini CORPVS, & præciosum ejus SANGVINEM.

XCI.

Oecumenius in 1. Cor. 11. Sacratissimum CORPVS Christi MANIBVS impuris accipiunt INDIGNI; & execrando ORI suo admovent.

XCII.

Idem docet Confessio nostra, dum Corpus & sanguinem Christi verè præsentia, distribui VESCENTIBVS asserit: haud obscure organo oris fieri innuens, ut ad nos Corporis Domini pertingat dispensatio.

XCIII.

Concludimus igitur, edi Corpus Christi, & bibi sanguinem ejus, Ore Corporis, non quidem primò & immediate: sic enim naturalis foret manducatio, quæ multis absurditatibus laborat; sed secundariò & mediante pane, cum quo Sacramentaliter unitum Corpus Domini: & mediante vino, cum quo Sacramentaliter unitus Sanguis Domini.

QVESTIO II, DE CONVIVIS Cæna Dominica.

XCIV.

Convivas sacratissimi hujus, & verè φοβερόν καὶ φρικτόν ἐστίν epuli, Confessio nostra indefinitè describens, Corpus & sanguinem Christi vescentibus in cæna distribui asserit: omnes omninò, quotquot ad epulum hoc accedunt, Corpore & sanguine Dominico indiscretè, participare, innuens.

XCV.

Scriptura sacra convivas istos in duos distinctos dispescit ordines: vnum dignorum; Indignorum alterum,

C 2

96. Indi-

XCVI.

Indignorum autem appellatione veniunt, non ignari religionis Christianæ, qui uti sunt extra Ecclesiæ pomeria constituti: ita ad sacram etiam *σύναξι* neque vel ipsi accedunt, vel accessuri admittuntur.

XCVII.

Neque etiam infirmi, aut fide imbecilli præditi: Hos enim præ cæteris ad omnium suorum beneficiorum perfruitionem invitat Dominus: Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ego reficiam vos. Matth. 11, 28. Item: Valentes & firmi non opus habent medico: sed qui malè habent, Matth. 9, 12.

XCVIII.

Quin Fides justificans quantumvis etiam infirma & imbecillis, quamdiu fides est, vera ac viva esse haud desinit.

XCIX.

Verùm *indigni* in hac Quæstione sunt, Omnes Christiani impij, qui licet fidem ore profiteantur, vere tamen & opere ipso eandem abnegant, dum sine vera pœnitentia, vel in hypocrisis, vel in delictis contra conscientiam perseverant: & ut speciem duntaxat aliquam externæ pietatis præferant, ad mensam hanc ipsis etiam Angelis tremendam, accedere non dubitant.

C.

De his ergo hodiè controvertitur, vtrum in usu S. Cœnæ idem percipiant, quod digni: hoc est, æquè participes fiant corporis & sanguinis Christi, ac digni.

CI.

Affirmativam contra Sacramentariorum *φλυαρίαις* nostræ tenent ac tuentur Ecclesiæ, his nixæ rationibus 1. enim disertè inquit Apostolus: Quisquis ederit panem hunc, vel biberit de poculo hoc **INDIGNE**, reus erit Corporis & sanguinis Domini. 1. Cor. 11, 27. & 29. Iam quicumque reum se actione aliqua constituit, is ipsa illa actione in rem ipsam, cuius se reum constituit, fuit injurius. At indigni ipsa hac actione, quod manducant panem **H VNC**, qui est *κοινωνία* Corporis Christi: & bibunt de calice **Hoc**, qui est *κοινωνία* sanguinis Christi, reos se constitunt **Corporis & sanguinis Domini**. Ergo, hac ipsa actione, quod manducant,

manducant Corpus Christi indignè, & bibunt sanguinem ejus: indignè, injuri sunt in Corpus & sanguinem Christi, quorum reos constituunt.

CII.

II. Integrum Sacramentum non tantum constat signo, sed & re signata, vi Sacramentalis unionis. Indigni accipiunt integrum Sacramentum: teste Apostolo docente illos indignè manducare de Pane Hoc, & poculo Hoc: Ergo, indigni non signorum duntaxat, sed & rei signatæ sunt in usu Cænæ participes.

CIII.

III. Adstipulatur huic etiam sententiæ Orthodoxus patrum chorus, ut August. lib. contra Fulgent. Donat. Sicut qui indignè manducat & bibit. SANGVINEM DOMINI, judicium sibi manducat & bibit: Sic & qui indignè accipit baptisma, judicium accipit, non salutem. Nam & IVDAS proditor, BONUM CORPVS, & simon Magus bonum baptisma Christi percepit: Sed Quia BONO benè usi non sunt: mali malè utendo deleti sunt.

CIV.

Idem. 1. 3. de bapt. cont. Don. cap. 14. Nihil interest cum de Sacramenti integritate & sanctitate quæritur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum: Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Potest enim fieri, ut homo habeat integrum Sacramentum, & perversam fidem.

CV.

Bernhardus. Ille qui cum IVDAS proditore, CORPVS DOMINI accipit, cum IVDAS condemnatur.

CVI.

Colligimus ex his indignos participes fieri per usum hujus Sacramenti ipsius Corporis & sanguinis Dominici: sed ad judicium, perinde ut ipsum verbum DEI, quod pijs & credentibus est odor vitæ ad vitam: indignis cedit in odorem mortis ad mortem. 2. Cor. 2, 16.

CVII.

Et profectò adeò necessaria visa semper fuit orthodoxis hæc indignorum manducationis assertio, ut eam inter sua

C3

κατὰ τὴν

neglecta contra sacramentarios D. Lutherus item retulerit: & hodie etiam eâ neglectâ, veritas contra eosdē defendi vix queat.

CVIII.

Quod si enim indigni, qui destituuntur ore fidei, integrum percipiunt Sacramentum, hoc est, signum & rem signatam: uti eos verè utrumque percipere, modò invictè est demonstratum: manifestè falsa, imò impia deprehenditur Sacramentaria hypothesis, qua per nefandam Eucharistiæ dilacerationem, Elementorum panis & vini fruitionem ad os corporis: manducationem autem Corporis Christi ad os fidei referunt. Hoc enim ore fidei destitui Indignos, nimis manifestum est.

PARS II. ARTICVLI ANTIΔΕΤΙΚΗ,
falsa doctrina reprobationem continens.

CIX.

Arguta brevitate hanc partem expedijt Confessio nostra dicens: *Et improbant (Ecclesiæ nostræ) secus docentes.*

CX.

Secus docentium termino notari tūm Sacramentarios tūm Pontificios, ipse finis conscripti hujus Symboli ostendit, qui sint, ut nihil commune tam cum recentionibus Sacramentariorum, Anabaptistarum & Pontificiorum, quàm veterum hæreticorum erroribus sibi esse, ostenderet; justasque sibi causas fuisse testatum faceret, quibus & à Romana, & à Sacramentaria Ecclesia divortium & secessionem fecerit.

CXI.

Et profectò hanc ipsam ob causam gens Sacramentaria *ΑντιΔεσιν* istam in variata editione expungi voluit, qui se, suumq; dogma eâ notari, haud obscure animadverterunt.

CXII.

Secus autem docent in hoc Articulo Sacramentarij multifariam, adeò ut longum errorum Catalogum, Christianæ Concordiæ Formula, necesse necessum habuerit.

CXIII.

Flosculi & Emblemata in unum collecta sunt isthæc:
1. Verba institutionis sunt, intelligenda tropicè & figuratè,
Corpus

*For. Conc.
Art. 7. fol.
732. &
733.*

2. Corpus & sanguis Christi duntaxat spiritualiter per fidem, non ore accipiuntur.

3. Panis & vinum sunt figuræ, signa & typi, Corporis & sanguinis Christi, tam procul absentis, quantum summum Cœlum ab ima terra distat.

4. Christus propter ascensum in Cœlos, corpore suo in Cœna adesse nequit.

5. Christi humana natura, & ejus proprietates non admittunt, ut corpus ejus in cœna præsens esse possit, si vel maximè velit.

6. Fides Christum non in Cœna præsentem, sed sursum in eo Cœli loco, ubi corpore suo sedet, apprehendit.

7. Indigni duntaxat nuda & vacua Symbola accipiunt in usu Eucharistiæ, Et quæ sunt horum errorum sexcenti alij quibus omnibus percensendis & refutandis alio tempore, juvante Deo nostræ vacabunt. Musæ.

CXIV.

Quoad Pontificiorum *ἁδελύματα*, meritò Augis stabulum expurgare videri possit, qui ad vivum omnia resecare, & sub Refutationis limam revocare velit.

CXV.

Nos antiquum illud, *Hereticorum errores recitare, est refutare*, nunc observabimus, & cum partim ipsa Confessio nostra in Articulo 1. & 3. Abusum mutatorum, partim etiam Apologia passim, Confutationis penso præclare sit functa: brevi delineatione Absurditatum, quibus errores hi laborant, contenti erimus.

CXVI.

Primum autem sese offert **TRANSUBSTANTIATIO**, quæ Pontificij definiunt mirabilem & singularem Conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini in sanguinem ejus, manentibus duntaxat speciebus panis & vini, factam per panis & vini consecrationem.

CXVII.

Laborat hoc commentum primum absurditatibus Fidei: Evertit enim assertionem Apostolicam, quæ poculum benedictionis, cui benedicimus, nominat *κοινωνίαν* sanguinis Christi: panem verò, quem frangimus, *κοινωνίαν* Corporis Christi: 1. Cor. 10. 16. 1551.
Trid. Sess.
13. cap. 4.
can. 2. d.
11. octob.

Adver-

CXVIII.

Adversatur etiam Paulo, qui nusquam species nudas & accidentia panis & vini, sed ipsum panem & vinum nominat aliquoties.

CXIX.

Delirat porro, Corpus & sanguinem Domini tamdiu latere sub his accidentibus panis & vini, quamdiu ipsa apparent accidentia: Quod quanta cum absurditate imò blasphema sit conjunctum, nemo tam bardus quin intelligat: nemo tam impius, quin detestetur.

CXX.

Deinde laborat idem commentum Absurditatibus rationis: dum partim repugnat sensuum nostrorum κρίσις & iudicio, quod, uti de objecto proprio testimonium perhibere potest certissimum: Ita, panem & vinum in ipso Eucharistiæ usu esse & manere sana, facta, integra, infallibili κρίσις iudicat: partim vero, ἀλόγως, καὶ ἀπειδύτως statuit, Accidentia panis & vini, nulli subjecto inhærere: cum tamen hoc proprium sit Accidentium καθ' αὐτὸ, ut suum τὸ εἶναι habeant in alio.

CXXI.

Explodimus igitur hoc figmentum: explosumque cum malè feriatâ Iesuitarum (Esauitarum rectius) colluviæ, ad ortum & Rhadamanti tribunal relegamus.

CXXII.

Concil. Alterum βδέλυγμα, Quod Pontificij in hoc articulo fortid. Sess. vent, est basis illa Synagogæ Babylonicæ, nempe MISSA: 6. cap. 2. quæ definiens Conciliabuli Tridentini patèrculis, fingitur can. 3. d. esse sacrificium, non tantum laudis & gratiarum actionis, non 17. sept. duntaxat commemorativum sacrificij Christi in cruce peracti: 1562. sed verè propitiatorium, in quo Christi Corpus & sanguis, per sacerdotem offeratur indies incruento modo pro vivis & defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, alijsq; necessitatibus.

CXXIII.

Scatet erroribus & absurditatibus hoc etiam fictitium Sacrificium: Nam 1. exemplo Christi & Apostolorum, imò omni prorsus mandato caret 2. Recitationi verborum institutionis ascribitur vis magica, qua panis & vinum Elementa, in Corpus &

& sanguinem Christi (uti barbarè loquuntur) transsubstantia-
ta : offerantur sacrificij loco Deo pro peccatis, pœnis &c.

CXXIV.

3. Fingitur rarus ille & unctus sacrificulus (parce ô Christe
blasphemiam hanc referenti) creare creatorem, juxta gloria-
tionem Gabrielis Bielis, ad quam meritò cœlum exhorrescat,
contremiscat terra, & Elementa ipsa stupefiant; his verbis il-
lam concipientis : *Qui creavit me, dedit mihi creari se : Et qui crea-
vit me, sine me, creatur mediante me.*

CXXV.

4. Sacrificium Christi enervatur, imò prorsus tollitur :
quod vnicum scriptura teste, est propitiatorium illud sacrificium
pro peccatis totius mundi. Major ergò cogitari vix potest bla-
sphemia, quàm quoddam Theatrico & scenico Mli, ex ineptis, & ri-
diculis, stultisq; gesticulationibus, conflato Dramati Missati-
co, vis purgandi peccata, avertendi pœnas & corporales ac æter-
nas adscribitur.

CXXVI.

5. Sacramentum mutatur in sacrificium, ac proinde in rem
ipsa specie à se ipsa distantem. Quod vel vnicum si observarent
Asini Romanenses, jam pridem Idolo huic suo nuntium remi-
sissent. Scelus enim vix gravius esse potest, quàm mutare Sa-
cramentum, in opus aliud, specie ipsa ab institutione sua dif-
fidens.

CXXVII.

6. Fingitur impurus Sacrificulus (cheu blasphemiam) in-
tercessor esse pro Filio DEI, ut nimirum DEVS pater acce-
ptabilem sibi velit esse, oblationem Filij sui, sicuti hostiam Abe-
lis : hoc, sicut ovem aut capram Abelis.

CXXVIII.

7. Fingitur panis Eucharisticus, mutatus in Corpus Chri-
sti, pro ipso DEO esse adorandus. Quæ detestanda ἀστολαργεία
non stylo anserino, sed pilo tartareo aliquando refutabitur.

CXXIX.

8. Fingitur Corpus Christi in Missa oblatū portari quotidie
per Angelos in conspectum DEI patris, haud secus ac anima
Lazari per Angelos fuit portata in sinum Abrahæ. Negatur igitur

D

Articulus

Articulus Ascensionis Christi in caelum, & sessionis ad dextram
DEi patris: Imò Christo talis infirmitas ascribitur, qua non Au-
geli: quippè qui semper vident faciem coelestis patris, Matth. 18,
10, non beati caelites subjacent, ut qui à facie ad faciem intuen-
tur DEUM sicuti est, 1. Ioh. 3, 2.

CXXX.

9. Fingitur hoc ipso sacrificio, è purgatorio igni (qui for-
sitan est in Vtopia: neq, enim est vel in vel extra Coelum aut ter-
ram,) liberari, quisquis certa pecuniæ summa certum Missarum,
post mortem suam peragendarum, numerum, redemerit, Pon-
tifex igitur Romanus omnium furum Rex meritò censendus,
qui hoc figmento universas fermè totius orbis Christiani opes
subdolè est suffuratus: ac proinde non mundi hujus caduco &
corruptibili: Sed æterno inferorum patibulo dignus; ex quo e-
tiam certò cum universa rafa sua cohorte suspendetur: & omnis
populus dicet Amen.

CXXXI.

Nos his, & sexcentis alijs absurditatum monstris, quæ Ido-
lum Missaticum secum trahit, toto pectore damnatis & reje-
ctis, statuimus Missam Pontificiam nihil esse aliud, quàm excre-
mentum Satanae, quo horrenda introducitur sanguinis Christi
profanatio: quo à DEi gratia, à merito Christi, à via salutis re-
gia, in errorum ac æternæ damnationis devia, miselli abducun-
tur homines.

CXXXII.

*Sess. 13.
Anno Chr.
1414.* Ejusdem valoris est & tertium $\epsilon\delta\epsilon\lambda\upsilon\gamma\mu\alpha$ Pontificium, nem-
pè COMMUNIO SUB VNA SPECIE: de qua olim concilio
Constantiense (Obstantiense rectius) sic definiuit: *Licet Chri-
stus venerabile Sacramentum sub utraque specie instituerit, & Eccle-
sia ita longo tempore observavit: tamen HOC NON OBSTANTE
placere alterius tantummodò speciei usum pro Laicis.*

CXXXIII.

*Sess. 5. d.
16. Jul.
Anno
1562. cap.
I, can. I.* Decretum hoc postmodum renovavit & confirmavit Con-
ciliabulum Tridentinum: in quo Anathematis gladium strictum
fuit in omnes, qui dixerint, ex institutione Christi, omnes Chri-
sti fideles utramque speciem sumere debere.

CXXXIV.

Fæditas hujus abominationis ex utroque hoc decreto vel
pueris

pueris innotescit: quippe quæ 1. institutioni Christi è diametro repugnat, 2. Apostolorum & Ecclesiæ primitivæ Exemplo caret. 3. detestandum inter Laicos & Sacerdotes, quo ad perfruitionem beneficiorum Christi, discrimen effingit, secus ac D. Petrus, qui omnes ad unum fideles, Regale Sacerdotium, gentem Electam, & peculium DEI appellat, 1. Pet. 2, 9.

CXXXV.

Quare non obstante Pontificis Romani, ac utriusque Concilij, tam Tridentini quàm Constantiensis anathemate, pleno ore, suffragante etiam Papa Gelasio, concludimus, divisionem unius ejusdemque Sacramenti, sine grandi sacrilegio non posse provenire: & cum eodem decernimus, aut Sacramenta esse percipienda integra; aut ab integris abstinendum.

*Decr. de
Consecr.
dist. 2. c.
12. Com.
perimus.*

CXXXVI.

Pullulant præterea ex his, de quibus dictum, *εὐδελυγµασι* plures alij errores Pontificiorum: ut Circumgestatio Sacramenti hujus; inclusio: adoratio: Processio: & alij: qui, cum auctoritate, præcepto, promissione divina destituantur, & nihil, præter blasphemias in Christi meritum crepent: propriâ sua & futilitate & impietate concidunt.

CXXXVII.

DEO sit laus & gratiarum actio sempiterna, pro revelata nobis Evangelij sui luce, quam ne ullo unquam tempore apud nos extinguere patiatur; ardentibus pectorum votis precamur supplices.

A M E N.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is difficult to decipher due to its low contrast and the texture of the paper.



4/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



56







DISPUTATIO XVII.
DE COENA DOMINI.

Ex articulo X. Confessionis Augustanae: &
I. ac III. Abusuum mutatorum, desumta:

Sacramentariorum & Pontificiorum
Βδελύμασιu opposita.

In qua

Docente Christo Servatore

Sub prasidio

LEONHARTI HVTTERI, S. Theologiae
Doctoris, & Professoris publici:

Respondebit

JONAS NICOLAI KYLANDER
Gothus, Suecus,

Mense Aprili, horis locoq; solitis,



WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgij Mulleri,

Anno clb Is XCVIII.

